



Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Q. 1. An Crispinus domum illam validè, & licitè emere, & retinere possit, si
ignarus sit impotentiae, quam habet Crispus ad satisfaciendum suis
Creditoribus?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

toribus suis satisfaciat, vel quia non sufficiunt alia bona, vel non est spes proxima comparandi alia bona ad satisfaciendum, uti constat ex §. si quis in fraudem instit. de action. & §. in fraudem instit. quibus manumitt. non licet &c. Idcirco si labore & industria non dedecente tuum statum posses Creditoribus satisfacere, non censeris fieri impotens ex alienatione, sed ex tua malitia, ut notat Less. l. 2. cap. 20, dub. 19. Nec ad hoc, ut alienatio facta censeatur in fraudem Creditorum regulariter necessaria est intentio, & animus defraudandi tali modo Creditores, ut advertit Molina D. 328. Sed sufficit sola scientia, seu siccias debitorem ex alienatione impotentem reddi, ut colligitur ex §. citt. in fraudem. His præmissis.

123 Ad 1. Q. R. affirmativè; nam si is, qui rem accepit, non scivit, alienationem esse in fraudem Creditorum, nec alienantem reddi impotentem, vel impotentiem ad solvendum, quounque titulo, sive oneroso, sive lucrative rem acceperit, non solum comparavit dominium rei acceptæ, sed etiam nullam inde obligacionem contrahit in foro conscientiæ illam Creditoribus restituendi. Ita Molina l. 3. Conclus. 2. Covarr. 3. variar. resolut. c. 3. n. 6. Less. l. c. n. 167. Palao D. 1. p. 4. n. 3. Reboll. l. 1. q. 7. §. 2. Joan. Salas. et. de usur. dub. 41. n. 4. Joan. Me-

dina de ref. q. 4. col. 18. Adrian. Palud, aliisque.

Ratio, quod is, qui rem accipit, acquirat ejus dominium, patet, quia accipit, quod alter validè donare, vel vendere potest, si quidem res illa, non erat obligatione aliqua reali, vel hypothecariâ alteri obstricta, ut supponitur, sed erat alienantis, cuius proin dominium in ementem, seu accipientem transferre potuit, & voluit. Quod autem nec in conscientiæ foro teneatur rem restituere Creditoribus, patet rursus ex eo, quod obligatio restituendi solum oriatur ex re accepta, & ex injusta acceptance: talis autem non tenetur ex injusta acceptance, cum acceperit bona fide, ignorans alienantem fieri impotentem ad debita solvenda; neque qui aliquid ab aliis accipit, tenetur inquirere, an vendentes, & alienantes habeant debita, vel media sufficientia ad ea solvenda, &c. id enim esse gravissimum onus imponere contractus celebrantibus sine fundamento. Neque tenetur ex re accepta; quia res accepta non Creditoribus competit; uti supponitur, sed alienanti, qui rei suæ dominium, sive titulo lucrative, sive oneroso, transstulit in accipientem. Neque talis ignorans alienationem fieri in fraudem Creditorum in foro externo tenetur ad restitutionem Creditoribus faciendam, si rem accepit ex contractu oneroso, ut statuitur